MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80200-12

AUTHOR:

MEYER, PETER JOSEPH

TITLE:

AESCHYLI PROMETHEUS VINCTUS...

PLACE:

BONNAE

DATE:

[1861]

Master Negative #

91-80200-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Meyer, Peter Joseph, 1820-
Aeschyli Promethevs vinctvs qvo in loco agi videatvr. Dissertatio philologica quam ... in pvblico defendet Petrus Iosephvs Meyer ... Bonnae, formis C. Georgi, [1861].
41 p. 20½ cm.

Thesis. Bonn.
Vol. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/28/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

AESCHYLI PROMETHEVS VINCTVS QVO IN LOCO AGI VIDEATVR.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXVII MENSIS MAII MDCCCLXI

IN PVBLICO DEFENDET

PETRVS IOSEPHVS MEYER

PROGYMNASII SARLOISIENSIS RECTOR.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

F. A. KLETTE, PHIL. DR. BIBLIOTH. REGIAE CVSTOS

I. P. BINSFELD, PHIL. DR. GYMN. BONNENSIS COLLEGA

I. B. EBERHARD, PHIL. STVD. SEMIN. PHILOL. SOD. EXTRAORD.

BONNAE

FORMIS C. GEORGI.

FRIDERICO THEOPHILO WELCKERO

FRIDERICO RITSCHELIO

PRAECEPTORIBVS

OPTIME DE ME MERITIS

Primo capite breviter exponetur, quae sint de re proposita doctissimorum virorum controversiae,

altero disceptabitur, num scena sit in Europa an in Asia,

tertio, quibus versibus transpositis Ionis erroribus lux afferatur,

quarto, quae stasimi primi vera esse videatur interpretatio,

quinto, qua in Europae regione res agatur,

sexto, num scena sit in ora maritima,

septimo, num in Caucaso Prometheus sit alligatus.

Capvt I.

Aeschyli Prometheus Vinctus quo in loco agatur, magna est inter viros doctos dissensio. Nam C. G. Schuetzius in commentario ad Aeschyli Prometheum I, pp. 9. 85. eum affixum esse dicit in Scythia Europaea ad Ponti Euxini sinum Carcinitem, ita ut tamen se aliis profiteatur id si magis placeat factum esse versus Oceanum in promontorio Scythico pertinacius repugnaturum non esse. Negat autem, Prometheum alligatum esse in Caucaso. Id primum refelli docta grammatici observatione, qui ad versum Promethei primum haec adnotaverit: *ἰστέον δὲ ὅτι οὐ κατὰ τὸν κοινὸν λόγον ἐν Καυκάσῳ φησὶ δεδέσθαι τὸν Προμηθέα, ἀλλὰ πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις τέρμασι τοῦ Ὠκεανοῦ, ὡς ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν Ἰὼ λεγομένων ἐστὶ συμβαλεῖν.* Nam quod Prometheus Ioni v. 717. *) suadeat, ne Hy-

*) Numeros sequor editionis Hermannianae.

bristen fluvium transgrediatur, priusquam ad Caucasum montium altissimum pervenerit, id pronunciari non posse ab eo, qui ipse in Caucaso versetur. Deinde sibi mirum esse, quoniam fieri videamus ab omnibus poetis, ut iam inde ab initio fabulae scenam accuratissime describant, cur Aeschylus, si in Caucaso rem geri voluerit, primis versibus Scythiae quidem, sed non Caucasi nomen protulerit. Postremo in chori carmine v. 411. inter vicinas gentes post Asiae incolas, Colchos, Scythas, ultimo demum loco enumerari Caucasi accolas, de quibus chorus, si in Caucaso esset, alio ordine locutus esset.

Contra F. Th. Welckerus in libro de trilogiis Aeschyli pp. 32. 139. et in Appendice p. 60. cum statuat, tres Prometheos, Igniferum Vinctum Solutum, uno argumento fuisse coniunctos, Vincti aeque ac Soluti scenam in Caucaso esse contendit. Etenim mirum ac potius absurdum esse, eam rupem, in qua haerebat Prometheus, in proxima fabula e Scythia in Caucasum esse translatam. Scholion illud a Schuetzio laudatum in codicibus aliis aliter scribi. Nam in codice Parisino apud Faehsium in Sylloge p. 3. et *οὐ, ἀλλά* particulas esse omissas, et *Ὠκεανοῦ* voci additam esse *καὶ οὐκ ἀλλαχοῦ* sententiam. Deinde Aeschyli verbis v. 720. *πρὶν ἂν πρὸς αὐτὸν Καύκασον μόλῃς* significari

non accessum ad montem, sed ascensum. Neque necesse fuisse, initio fabulae ab Aeschylo nominari Caucasum, cum spectatores Graeci, Prometheum in Caucaso affixum esse, fabulis de Hercule vulgatis novissent. Denique e versu 420. effici, *Ἀραβίας* scriptura si vera sit, Prometheum non pati in Europa, sed inter Asiae gentes.

Welckeri argumentationem G. Hermannus in dissert. de Prom. S. Opusc. IV, p. 262. sqq. Aesch. trag. II, p. 153, quo facilius persuadeat, inter Prometheum Vinctum et Solutum nihil necessitudinis intercedere, impugnat. Is certum esse ait minimeque dubium, in fabula superstite Prometheum non in Caucaso, sed in Scythiae parte ea, quae remotior a Caucaso sit, vinctum dici neque obscurum esse, cur id finxerit Aeschylus. Loco enim opus fuisse propius ad Oceanum sito, ut mallei ictibus ex antris suis excitarentur nymphae Oceanides ipseque ex abdita sede sua evocaretur Oceanus. Quare si coniunctae fuerint Vinctus et Solutus tragoediae, nihil relinqui, nisi ut rupem in Vincto in tartarum deiectam in Soluto alio loco emersisse dicamus. Itaque Hermannus Schuetzii sententiam, scenam esse neque in Asia neque in Caucaso, argumentis ex ipsa Aeschyli fabula deductis acriter defendit.

Non ita C. I. Blomfieldius, Anglus, qui quietiore est animo scilicet. Nam Aesch. Prom. p. 50. de locis Aeschyli litigare operae pretium esse negat, quum satis manifestum sit, Aeschylum suam habere geographiam, suam mythographiam easque parum accuratas. Verumenimvero ista cognitio non tam brevis est neque tam paucis transigi verbis potest. Nam quod magnus ille vir mathematicus desiderat, *δὸς ποῦ στῶ*, id etiamsi ad verbum interpretaris cum in omni genere artium, tum in litteris maximi est momenti. Quem vero Aeschylus locorum situm esse voluerit, et a grammaticis quaerendum esse videbimus et ab historicis, ab illis, ut ipsius fabulae Aeschyleae genuina integraque forma quae sit intelligant, ab his, ut quas orbis terrarum partes antiquissimis temporibus Graeci cognitas habuerint non ignorent. Quodsi non hic tantus fructus ostenderetur et si ex hac quaestione nihil aliud peteretur, quam campus quidam et quasi arena exercendi acuendique iudicii, tamen ut arbitror haec materia Blomfieldio dissuadente a me sumpta quae retractaretur dignissima esset. Sed omnes omnium virorum, qui de eodem argumento disputarunt, opiniones alucinationesque enumerare longum est neque necessarium videtur; id unum addo, maxime dissentire G. F. Schoemannum Aesch. Prom.

p. 316. et R. H. Klausenum Mus. Rhen. vol. III, p. 302, quorum alter in remotissima regione septemtrionali, qua ad occidentem vergit, alter in extrema Caucasi parte, quae in Asia est et ad orientem spectat, rem agi censet.

Capvt II.

Quam gravissimorum illustrissimorumque philologorum litem ut dirimamus, primum quaerendum esse puto, utrum fabula agatur in Europa an in Asia, quod facile erit ad diiudicandum, si quem Aeschylus terminum inter utramque terram habeat constabit. Neque vero iis assentior, qui G. Hermannum secuti in Prometheo Vincto Tanai vel Bosporo Cimmerio utramque continentem separari arbitrantur. Nam antiquissimis temporibus a plerisque Phasin, a nonnullis tantum Tanain et Bosporum Cimmerium Asiae terminum habitum esse, ex Herodoto intelligitur. Herod. IV, 45: *καὶ οὐρίσματα αὐτῇ Νεῖλός τε ὁ Αἰγύπτιος ποταμὸς ἐτέθη καὶ Φᾶσις ὁ Κόλχος (οἱ δὲ Τάναϊν ποταμὸν τὸν*

Μαιήτην καὶ πορθμήια τὰ Κιμμέρια λέγουσι), *οὐδὲ τῶν διουρισάντων τὰ οὐνόματα πυθέσθαι*, *καὶ ὅθεν ἔθεντο τὰς ἐπωνυμίας*, quibus verbis animadvertendum est non dici, terminum iisdem fuisse non solum Phasin, verum etiam Tanain et Bosporum, sed ab aliis Phasin, ab aliis Tanain et Bosporum terminum habitum esse. Retinendum est igitur quam tenacissime, cum Herodotus testis sit locuples, Aeschylo aut Phasin terminum fuisse aut Tanain, non tamen utrumque flumen. Utram vero sententiam ille sit amplexus, elucet e Promethei Soluti versibus ab Arriano in Periplo Ponti Euxini c. 19. servatis: *καί τοι Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ λυομένῳ τὸν Φᾶσιν ὅρον τῆς Εὐρώπης καὶ τῆς Ἀσίας ποιεῖ. λέγουσι γοῦν αὐτῷ οἱ Τιτᾶνες πρὸς τὸν Προμηθέα ὅτι*

Ἥκομεν —
τοὺς σοὺς ἄθλους τούσδε, Προμηθεῦ,
δεσμοῦ τε πάθος τόδ' ἐποψόμενοι.

ἔπειτα καταλέγουσιν ὅσην χώραν ἐπῆλθον.

τῇ μὲν δίδυμον χθονὸς Εὐρώπης
μέγαν ἠδ' Ἀσίας τέρμονα Φᾶσιν.

Non minoris hic locus esset momenti, si Hermanno esset assentiendum, inter Prometheum Vinctum et Solutum nihil necessitudinis intercedere. Sed hodie ipsi illi grammatici, qui nullam statuunt fuisse tragoediam

Igniferi Promethei, tamen utrumque Prometheum et Vinctum et Solutum ad unam tetralogiam pertinuisse non negant. Bergk. trag. Soph. p. XXIX. Quare cum in Prometheo Soluto tam gravibus verbis Asiae atque Europae terminus nuncupetur Phasis, in Vincto utramque continentem dividi Tanai, qui veritatis cupidior est quam contentionis non facile sibi persuaserit. Iam vero ab Aeschylo Asiae finem versus septemtrionem non usque ad Tanain neque ultra Caucasi radices, ubi ad meridiem vergunt, prolatum esse, altero probatur argumento, quod quamvis ita sit comparatum, ut suapte vi persuadendi necessitatem non habeat, tamen priori argumento magis etiam confirmando non incommode adhibetur. Persae enim cum ab Herodoto tum ab Aeschylo totius Asiae domini appellantur, Persici autem regni ultimae gentes ab Herodoto eae perhibentur, quae in Colchide et sub Caucaso sedem habent. Aesch. Pers. 763:

ἐξ οὗ γε τιμὴν Ζεὺς ἄναξ τήνδ' ὤπασεν,
ἕν' ἄνδρ' ἁπάσης Ἀσίδος μηλοτρόφου
ταγεῖν, ἔχοντα σκῆπτρον εὐθυντήριον.

Herod. I, 4: *τὴν γὰρ Ἀσίην καὶ τὰ ἐνοικέοντα ἔθνεα βάρβαρα οἰκειεῦνται οἱ Πέρσαι, τὴν δὲ Εὐρώπην καὶ τὸ Ἑλληνικὸν ἥγηνται κεχωρίσθαι.* Id. III, 97: *Κόλχοι δ' ἐτάξαντο ἐς τὴν δωρεήν, καὶ οἱ προσεχέες μέχρι τοῦ*

Καυκάσιος οὔρεος· ἐς τοῦτο γὰρ τὸ οὖρος ὑπὸ Πέρσῃσι ἄρχεται, τὰ δὲ πρὸς βορῆν ἄνεμον τοῦ Καυκάσιος Περσέων οὐδὲν ἔτι φροντίζει. Nam quod Colchis ab Herodoto Persarum regno, ab Aeschylo, ut infra videbimus, Europae adiungitur, nihil habere potest offensionis, quippe cum ea sita esset in utraque Phasidis ripa.

Non sum nescius, a C. Rittero in libro de rebus ante Herodotum sub Caucaso et in littore Ponti Euxini gestis p. 190. dici, Aeschyli Phasin non Phasin esse Colchicum, sed Hypanin. Id tamen vir egregius ne cui persuadeat non metuendum videtur, cum ad sententiam suam probandam ne unius quidem veteris scriptoris utatur testimonio. Etiam illud parvi refert, in Hecataei Milesii reliquiis a R. H. Klauseno Berolini a. 1831. editis p. 89. (cf. F. A. Ukerti quaest. de geogr. Hecataei ed. Vim. a. 1814. p. 45.) qui sit Asiae Europaeque terminus parum constare. Nam multo etiam recentioribus temporibus Iustinus II, 2. Trogum Pompeium ille secutus Phasin Asiae et Scythiae terminum appellat. Accedit, quod apud eos poetas, qui ad Aeschyli aetatem proxime accedunt, Tanais nomen non invenitur, contra Phasis Colchicus ut Nilus saepissime extremos indicat terrarum fines flumenque est nobilissimum. Soph. Oed. tyr. 1227:

οἶμαι γὰρ οὔτ' ἂν Ἴστρον οὔτε Φᾶσιν ἂν
νίψαι καθαρμῷ τήνδε τὴν στέγην.

Pind. Isthm. II, 42:

ἀλλ' ἐπέρα ποτὶ μὲν Φᾶσιν θερείαις,
ἐν δὲ χειμῶνι πλέων Νείλου πρὸς ἀκτάς.

Eur. Andr. 651:

ἣν χρῆν σ' ἐλαύνειν τήνδ' ὑπὲρ Νείλου ῥοὰς
ὑπέρ τε Φᾶσιν.

Quodsi extra omnem controversiam positum esse videtur, ab Aeschylo Asiam et Europam dividi Phasi flumine, necesse est, ab eodem ut ab Herodoto tota Asiae, quam nos appellamus, pars septemtrionalis Europae annumeretur, Scythia vero, cuius saxis Prometheus affixus est, Europaea sit, non Asiatica.

CAPVT III.

Ac ne quis dicat ex erroribus Ionis ab Aeschylo descriptis intelligi, alium esse Asiae terminum in Prometheo Soluto, alium in Vincto, diligentius quam ab Hermanno Aesch. trag. II, p. 157. factum esse video,

ubi Aeschylus Ionem in Asiam transeuntem faciat, investigemus. Nihil est enim certius, quam errores Ionis Hermannum, cum opinetur, Asiae apud eundem poetam plures diversosque esse posse terminos eamque in Prometheo Vincto Bosporo Cimmerio definiri, ingeniose illum quidem, sed perverse exponere. Quis enim concedat, ab Aeschylo Hypanin et Borysthenem fluvios esse confusos, ita ut Araxi suo ostium Borysthenis, fontem eum tribuerit, quem habet Hypanis! Quis ab eodem Caucasum e loco suo longius ad septemtrionem esse remotum! Quis denique credat, Ionem Caucasi summo iugo superato ab Amazonibus Colchicis, ut in Asiam perveniret, vel, ut Hermannus l. l. vult, per tractum, qui est supra paludem Maeotidem, vel, ut Schuetzius in comment. ad Aesch. Prom. p. 176, „per obliquam illam regionem et in latum modice patentem, quae inter Pontum Euxinum et paludem Maeotidem excurrit, ubi olim Phanagoria urbs erat sita“, ad Bosporum Cimmerium esse deductam! Ipse ille Hermannus, qui in locis describendis illud curandum esse monet, ne vel minorem vel maiorem, quam credi possit, scientiam illis qui interpretandi sint scriptoribus tribuamus, in Aeschylum videlicet temere ac fortuito locorum tum gnarum tum ignarum eum fingens mira quaedam opinionum

commenta infert. Neque vero C. Reisigio, qui in appar. crit. et exeg. ad Aesch. trag. ed. Hal. 1832. vol. I, p. XXV, ut Ionis erroribus lucem afferat, duodecim versus 717—729. non eo loco, ubi nunc in codicibus leguntur, sed post versum 792. a poeta positos esse existimat, quisquam assentietur, nisi qui tam inclinato ad credendum animo est, quam E. Hochius in program. de erroribus Ionis ed. Aschersl. a. 1835. K. H. W. Voelckeri denique errores, qui p. 198. recte quidem in Prometheo Vincto Asiae terminum Phasin esse videt, sed p. 203. Ionem Bosporum Thracium transgredientem inducit, iam ab Hermanno Aesch. trag. II, p. 153. sunt refutati atque explosi.

Sed in hac controversia tam ancipiti disceptanda meminisse debemus, Ponti Euxini oras a Graecis habitatas multiplicique commercio cum Athenis omnique Graecia coniunctas iis temporibus, de quibus nunc agimus, fuisse notissimas. Nam, ut argumento utar, Thucydides III, 2. bello Peloponnesiaco Lesbios narrat ex Ponto et frumentum et alias res ad bellum necessarias petivisse eiusque commercii vias consentaneum est non subito, sed iam Aeschyli aetate esse munitas. Reputandum est porro, Prometheum fabulam doctam esse fortasse post Orestiam, quod est post annum 458. a. Ch., certe a poeta iam sene, illas

autem terras, quae sunt circa Pontum Euxinum, bello a Dario Persarum rege a. 508. gesto et Persis et Graecis esse patefactas. Quin etiam Hermannus qui tam accuratam tamque veram illarum regionum cognitionem Aeschylo abiudicandam esse censet, tamen, ut coniecturarum suarum probabilitatem defendat, quin Aeschylus non solum Isthmum Cimmerium, verum etiam portas Caucasias commemorare potuerit, non dubitat. Quid tandem! Si Aeschylus Prom. 709. sqq. imaginem consuetudinis atque vitae Scytharum exprimit Herodoti IV, 46. arti peritiaeque simillimam, cur non eundem Borysthenem Tanainque novisse largiare! Quare confidenter coniicio, Ionem e Colchide in Asiam ituram per Isthmum sive Cimmerium sive Thracium neque ab Amazonibus neque ab Aeschylo, sed a librariis eorumque interpretibus esse deductam. Tribus enim versibus 730—732. post v. 713. collocatis Io non iam poetae inertis praeposterequc agentis errat vias. Nam hoc sese ordine versus excipiunt:

v. 707. *πρῶτον μὲν ἐνθένδ' ἡλίου πρὸς ἀντολὰς*
τρέψασα σαυτὴν στεῖχ' ἀνηρότους γύας·
Σκύθας δ' ἀφίξει νομάδας, οἳ πλεκτὰς στέγας
πεδάρσιοι ναίουσ' ἐπ' εὐκύκλοις ὄχοις,
ἑκηβόλοις τόξοισιν ἐξηρτημένοι·
οἷς μη πελάζειν, ἀλλ' ἁλιστόνοις πόδας

χρίμπτουσα ῥαχίαισιν ἐκπερᾶν χθόνα.
ἰσθμὸν δ' ἐπ' αὐταῖς στενοπόροις λίμνης πύλαις
Κιμμερικὸν ἥξεις, ὃν θρασυσπλάγχνως σε χρὴ
λιποῦσαν αὐλῶν' ἐκπερᾶν Μαιωτικόν.
λαιᾶς δὲ χειρὸς οἱ σιδηροτέκτονες
οἰκοῦσι Χάλυβες, οὓς φυλάξασθαί σε χρή.
ἀνήμεροι γὰρ οὐδὲ πρόσπλατοι ξένοις.
ἥξεις δ' ὑβριστὴν ποταμὸν οὐ ψευδώνυμον,
ὃν μὴ περάσῃς, οὐ γὰρ εὔβατος περᾶν,
πρὶν ἂν πρὸς αὐτὸν Καύκασον μόλῃς, ὀρῶν
ὕψιστον, ἔνθα ποταμὸς ἐκφυσᾷ μένος
κροτάφων ἀπ' αὐτῶν. ἀστρογείτονας δὲ χρὴ
κορυφὰς ὑπερβάλλουσαν ἐς μεσημβρινὴν
βῆναι κέλευθον, ἔνθ' Ἀμαζόνων στρατὸν
ἵξει στυγάνορ', αἳ Θεμίσκυράν ποτε
κατοικιοῦσιν ἀμφὶ Θερμώδονθ', ἵνα
τραχεῖα πόντου Σαλμυδησσία γνάθος
ἐχθρόξενος ναύταισι, μητρυιὰ νεῶν·
αὗταί σ' ὁδηγήσουσι καὶ μάλ' ἀσμένως.
ἔσται δὲ θνητοῖς εἰσαεὶ λόγος μέγας
τῆς σῆς πορείας, Βόσπορος δ' ἐπώνυμος
κεκλήσεται. λιποῦσα δ' Εὐρώπης πέδον,
ἤπειρον ἥξεις Ἀσιάδ'.

Talem versuum ordinem ab Aeschylo profectum esse si mecum facis, Io per Europam hac errat via: Scy-

this, qui supra paludem Maeotidem incolunt, vitatis litus Ponti Euxini secuta per Isthmum, qui Chersonesum Tauricam cum continente iungit, ad Bosporum Cimmerium se confert, quo tranato ad laevam habet Chalybes, quos ubi effugit, venit ad Hypanin e Caucasi summis iugis profluentem. Deinde versus meridiem in Colchidem pergit, unde Amazonibus ducibus rectissima via per Phasin pervenit in Asiam. Prometheus autem, priusquam ad alteram viae partem describendam pergit, itineris ab Ione facti laudem et gloriam inquit permagnam fore nomenque Bospori ei datum iri. Duo ergo illa ex erroribus Ionis ab Aeschylo descriptis apparent, unum, flumen, quo Aeschylus v. 791. Asiam et Europam dirimat, ῥεῖϑρον ἠπείρων ὅρον, nec Tanain nec Bosporum Cimmerium esse, sed Phasin Colchicum, alterum, cum Io Phasi nondum traiecto Prometheum conveniat, locum, ubi ille vinctus sit, nisi in Europa esse non posse.

Non ab Aeschylo montes ac flumina, sed a librariis Aeschyli versus esse turbatos, non solum e locorum natura consequitur, verum etiam ratione probatur grammatica. Ut enim αὖ particulae iterandi atque opponendi vis inest, ita αὐτός pronominis ex αὖ adverbio orti usus in eo versatur, ut rem ab aliis rebus discernendam esse indicet. Herm. ad Vig. p. 762.

Sic apud Homerum Od. XXII, 75. αὐτός pronomine Ulixes opponitur Telemacho atque duobus pastoribus eum subsequentibus. Nam Eurymachus procos adhortatur, ut tribus illis viris neglectis cuncti unum in Ulixem si minus opprimendum, tamen reprimendum impetum faciant. Illud autem Homeri Od. XIX, 13. αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος sic est dictum, ut αὐτός pronomine ferro propter splendorem, acumen, habilitatem singularem quandam et ceteris rebus maiorem ad bella movenda vim inesse significetur. Quodsi αὐτός nomini ubique opponendi notio est subiecta, iam quaero, versum 729. versus 730. si excipit, angustae lacus portae cui rei opponantur! Neque enim Isthmo illas opponi posse in promptu est. At versum 713. si excipit, angustae portae aptissime respondent versu antecedente laudatis littoribus. Neque vero unde librariorum error sit ortus latet. Nam veri simillimum est, eum repetendum esse e πορεία vocabulo, quod quo facilius ad Bospori traiectionem referretur, tres illi versus propius sunt adscripti.

Caput IV.

Quae cum ita sint, non debebat C. F. A. Bellmannus in monstruoso illo libro, quem inscripsit de Aeschyli ternione Prometheo, ed. Vratislaviae a. 1839. p. 136, ut Prometheum in Europa agi demonstraret, ratione aeque artificiosa ac falsa chori verba v. 407. sqq. torquere. Nam „Aeschyli, inquit, verbis cum appareat duplicem regionem significari, alteram circumiacentem in quaque Prometheus versetur (*πρόπασα δ' ἤδη λέλακε χώρα*), alteram quae *ἔποικον* i. e. accola finitimum *'Ασίας ἕδος* sit, excluso qui v. 2. Scythicus cogitari nequit Libyae circumiectu, quae alia Asiae quam Europa opponetur?“ Opponuntur hoc loco sibi sane Europa et Asia, sed aliter atque Bellmannus vult. Nam chori verba, si ita, ut Bellmannus, legenda esse censes, hanc potius habent vim et conformationem: totius terrae homines tui, Prometheu, miseret, tam eos, qui Asiam incolunt, quam Europae gentes, Amazones Scythasque, tam Arabiae bellicosam iuventutem, quam eos, qui editam regionem tenent Caucaso

vicinam. Fallitur igitur Bellmannus, quod *πρόπασα χώρα* verba ad Europae gentes referenda esse putat. Sed chori carmen, de quo agimus, neque Bellmannus recte legit, neque Hermanni cura satis emendavit. Primum enim *δ' εἰβομένα* scripturam ab Aeschylo alienam esse, cum codicum discrepantia tum numerorum ratio a poeta iam in parodo adhibita ostendit. *'Ραδινόν* formam esse veram etiam Hermannus suspicatur. Deinde quod in codice Par. A. exstat recipiendum esse censeo *ἔτεγξε*, non *ἔτεγξα*. Quare v. 408. *τέ* particula in *καί* mutata, stropha et antistropha ita scribendae sunt:

στρ. α'. στένω σε τᾶς οὐλομένας τύχας, Προμηθεῦ·
δακρυσίστακτον ἀπ' ὄσσων
ῥαδινὸν ῥέος παρειὰν
νοτίοις ἔτεγξε παγαῖς.
ἀμέγαρτα γὰρ τάδε· Ζεὺς δ'
ἰδίοις νόμοις κρατύνων
ὑπερήφανον θεοῖς τοῖς
πάρος ἐνδείκνυσιν αἰχμάν.

ἀντ. α'. πρόπασα δ' ἤδη στονόεν λέλακε χώρα,
μεγαλοσχήμονα κ' ἀρχαι-
οπρεπῆ στένουσα τὰν σὰν
ξυνομαιμόνων τε τιμάν·
ὁπόσοι τ' ἔποικον ἁγνᾶς

Ἀσίας ἕδος νέμονται,
μεγαλοστόνοισι σοῖς πή-
μασι συγκάμνουσι θνατοί·

In stropha β′ *μάχαις* dativo *μάχας* genitivum, quem habet codex M., praefero. Verum recte Hermannus in antistrophae β′ versu secundo θ᾽ vel τ᾽ litteram, quae in codicibus quidem exstat, sed et metro repugnat neque a scholiastis legebatur (cf. I. I. Frey de Aeschyli scholiis Mediceis p. 11.) delet. Eiusdem *Σαρματᾶν* coniecturam magis speciosam, quam veram esse puto. Primum enim poetae ad unum omnes, ut infra videbimus, Caucasum non fingunt a Sarmatis habitatum esse, sed a Scythis. Ipse Lucianus, quo Hermannus ad v. 422. nititur, Scytharum mentionem facit, non Sarmatarum. Deinde non dubito, quin scholiasta, qui *ὑψίκρημνον οἳ πόλισμα Καυκάσου πέλας νέμονται* verba non ad Arabes spectare, sed ad alium populum omissamque *καί* particulam esse putat, recte sentiat. Nam unum eundemque populum ab Aeschylo et *ἄρειον* et *δάϊον* esse appellatum, nemo erit, qui concedat. Opponuntur igitur chori carmine Asiae incolis Amazones et Scythae, Arabiae bellicosae iuventuti editam regionem Caucaso vicinam qui incolunt, unde patet, cum Amazones inter Europae gentes referantur, Asiae atque Europae terminum

Phasin haberi scenaeque Asiam v. 411. non perperam appellari finitimam.

Capvt V.

Sequitur, ut in qua Europae regione scena sit disceptemus. Iam e secundo fabulae versu efficitur, eam in Scythia esse. Quae autem illa intelligenda est Scythia? Certe Aeschyli Scythia non iisdem continetur finibus, quibus Scythia vel Herodoti vel Ptolemaei. Neque enim noster poeta ut Herodotus eam describit Scythiam, quae est inter Istrum et Tanain, cui Darius ex Asia in Europam exercitu traiecto bellum intulit, neque ut Ptolemaeus duplicem distinguit Scythiam, extra Imaum montem unam, intra eundem alteram, utramque vero Asiaticam. Primum enim animadvertendum est, poetas tragicos non perverse quidem, sed minus tamen accurate de locorum situ locutos esse quam auctores, cuius rei illustre exemplum praebet Euripides (Iph. T. 123.) Iphigeniae comites Symplegadum appellans incolas:

Εὐφαμεῖτ' ὦ
πόντου δισσὰς συγχωροῦσας
πέτρας Εὐξείνου ναίοντες.

Deinde Scythiae nomen vulgo scimus latius patuisse omnemque complexum esse regionem veteribus minus notam, quae ad septemtrionem est. Strabo XI, p. 507. ed. Casaub.: *Ἅπαντας μὲν δὴ τοὺς προσβόῤῥους κοινῶς οἱ παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων συγγραφεῖς Σκύθας ἐκάλουν.* Nam ut versus orientem Indiam, ad occidentem Hesperiam, ita versus meridiem Aethiopiam, versus septemtrionem Scythiam in ultimis terrae partibus ponebant. De quo maiorem fidem ut faciam, liceat infra ponere doctam H. Steinii adnotationem ad Herod. IV, 6: „Der Name *Σκύθης* ist nicht hellenisch; auch ist nicht an ein Verderbniss aus *Σκόλοτος* zu denken. Die Herleitung aus dem arischen Sprachstamme (thrakisch? vergl. altdeutsch sciutan, lithauisch szauti „schiessen"; also „Schütze") ist die ansprechendste, weil der Stammvater *Σκύθης* in der Tradition der pontischen Hellenen sich vor seinen Brüdern durch die Kunst des Bogens auszeichnet (c. 10); weil die angekauften Bogenschützen, die in Athen als Stadtwache dienten, ohne Unterschied bald *Σκύθαι* bald *τοξόται* genannt wurden; weil endlich das s. g. *Σκυθικόν* ein Gift, womit die Skythen ihre

Pfeile bestrichen, zugleich auch *τοξικόν* hiess (Schol. Nikand. Alex. 207). Was den Gebrauch des Namens betrifft, so beschränkten ihn die Autoren, von Hekatäus an, keineswegs auf die ihnen seit Herodot als ein abgesondertes und eigenthümliches Volk bekannt gewordenen Nomaden der nordpontischen Steppe, sondern dehnten ihn auf alle nomadischen Reitervölker des europäischen und asiatischen Nordens aus."

Itaque Aeschylus communem Graecorum opinionem secutus remotissimam versus meridiem regionem Aethiopiam Prom. v. 808, versus septemtrionem Scythiam appellat.

Prom. v. 1: *Χθονὸς μὲν εἰς τηλουρὸν ἥκομεν πέδον,*
Σκύθην ἐς οἶμον, ἄβροτον εἰς ἐρημίαν.
v. 417: *καὶ Σκύθης ὅμιλος, οἳ γᾶς*
ἔσχατον τόπον ἀμφὶ Μαιῶτιν ἔχουσι λίμναν.

Separat autem poeta v. 707. sqq. Scythiae saxosam solitudinem, in qua Prometheus est alligatus, a domicilio Scytharum, quorum in numero sunt Scythae Nomades et Chalybes. Nam Colchidem in Scythia sitam esse scholiasta quidem ad v. 405. adnotat, verum Aeschylus v. 415. Amazones, Colchidis incolas, a Scythis distinguit. Scythae vero Nomades, ad quos Io v. 709. per Scythiae incultos agros accedit, nihil

est, cur non iidem habeantur, qui ab Herodoto IV, 19. inter Borysthenem et Tanain incolere dicuntur, Chalybum autem nomine comprehendere videtur poeta eos Scythas qui ferrariis metallis operam dabant. De quibus quanquam multi multa disputarunt, velut Mannertus in libro de geogr. Graec. et Rom. VI, 2, p. 429. sqq., Ritterus geogr. II, p. 787—796, Bernhardyus geogr. Graec. minor. p. 736. sqq., Valckenarius ad Callim. p. 155. sqq., tamen ubi habitaverint non patet. Diversas fuisse huius nominis gentes, intelligitur ex diversitate locorum, quos Chalybes incoluisse ferunt. Alii enim eos habitasse dicunt circa Thermodontem, alii circa Halyn, alii in superiore valle Araxis, alii aliis in locis. Aeschyli Chalybes a Voelckero p. 207. in Chersoneso Taurica, ab Hermanno Iahnii annal. n. a. 1832. p. 294. in littore septemtrionali ponti Euxini collocantur, sed utriusque non solum argumenta persuadendi necessitatem non habent, verum etiam ipsa opinio est falsa. Nam supra Pontum Euxinum eorum sedes esse non possunt, quod ex Promethei vaticinio intelligitur, eos habitare a Scythis Nomadibus versus orientem. Voelckerus autem bellicosam illam gentem, cuius chorus v. 421. mentionem facit, Chalybes esse dicens, eosdem, ne sibi non constaret, e Caucasi vicinitate removere non de-

bebat. Meum versuum ordinem si probas, necesse est, Chalybes, quos Io Bosporo Cimmerio traiecto ad laevam habet, incolant in littore paludis Maeotidis inter Hypanin et Tanain. Ita demum nihil obstat, quominus ad Chalybes etiam haec chori verba referamus:

Ὑψίκρημνον οἳ πόλισμα
Καυκάσου πέλας νέμονται,
Δάϊος στρατὸς, ὀξυπρώροισι βρέμων ἐν αἰχμαῖς.

Quodsi Scytharum Nomadum Chalybumque domicilia recte a me sunt definita, sequitur, ut Clausenus, qui l. c. Prometheum in Caucaso, ubi in orientem spectat, vinctum esse censet, toto erraverit coelo. Luce enim clarius est, quum Io, ut ad Scythas Nomades veniat, versus orientem proficiscatur, solitudinem, unde venit, sitam esse a Scythis Nomadibus, qui inter Borysthenem et Tanain habitant, versus occidentem.

CAPVT VI.

Scenam haud procul a mari abesse, Schuetzius in comment. ad Prom. p. 9. inde colligit, quod sub finem fabulae v. 1091. Prometheus coelum ait ponto misceri.

Καὶ μὴν ἔργῳ κοὐκ ἔτι μύθῳ
χθὼν σεσάλευται· βρυχία δ' ἠχὼ
παραμυκᾶται βροντῆς, ἕλικες δ'
ἐκλάμπουσι στεροπῆς ζάπυροι,
στρόμβοι δὲ κόνιν εἱλίσσουσι·
σκιρτᾷ δ' ἀνέμων πνεύματα πάντων
εἰς ἄλληλα στάσιν ἀντίπνουν
ἀποδεικνύμενα· ξυντετάρακται δ'
αἰθὴρ πόντῳ. τοιάδ' ἐπ' ἐμοὶ
ῥιπὴ διόθεν τεύχουσα φόβον
στείχει φανερῶς.

Ea a Prometheo dici potuisse Schuetzius negat, nisi e loco, ubi affixus erat, in mare prospicere licuisset. Sed istam concludendi rationem levem esse ac lubricam, haud difficile est intellectu. Nam eodem loco Prometheus rerum naturam ait perturbari omnium impetu

ventorum. Quis autem est, qui inde colligat, Prometheo praesente ac vidente omnes flare ventos! Non meminit ergo Schuetzius, Prometheum Iovis ira vehementer commotum atque perterritum usum esse ea dicendi figura, quae a grammaticis decens appellatur veri traiectio. Voelckerus p. 197. ut scenam demonstret in littore esse maris, praeter illum versum a Schuetzio allatum his quinque aliis utitur testimoniis:

v. 88. *ὦ δῖος αἰθὴρ καὶ ταχύπτεροι πνοαί,*
ποταμῶν τε πηγαί, ποντίων τε κυμάτων
ἀνήριθμον γέλασμα, παμμῆτόρ τε γῆ,
καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ,
ἴδεσθέ μ', οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός.

v. 431. *βοᾷ δὲ πόντιος κλύδων.*

v. 569. *ἀλλά με τὰν τάλαιναν*
ἐξ ἐνέρων περῶν κυναγεῖ, πλανᾷ
τε νῆστιν ἀνὰ τὰν παραλίαν ψάμμον.

v. 712. *οἷς μὴ πελάζειν, ἀλλ' ἁλιστόνοις πόδας*
χρίμπτουσα ῥαχίαισιν ἐκπερᾶν χθόνα.

v. 1052. *κῦμα δὲ πόντου τραχεῖ ῥοθίῳ*
συγχώσειεν τῶν τ' οὐρανίων
ἄστρων διόδους, ἔς τε κελαινὸν
Τάρταρον ἄρδην ῥίψειε δέμας
τοὐμόν ἀνάγκης στερεαῖς δίναις.

Sed chori versus 431. sqq. ne spectant quidem ad Pro-

metheum, sed referendi sunt ad Atlantis labores. Alter locus v. 569. sqq. nullius est momenti, quia Io non solum per oram maritimam errat, verum etiam per montes ac solitudines. E reliquis quoque versibus nihil effici, vix est quod dicam. At non deest, cur scenam a mari satis longe abesse putemus. Saxa enim, in quibus Prometheus atque Io versantur, si sita essent in littore, certe Aeschylus Ionem dicentem induxisset, se rupe deiectam perituram esse aquae fluctibus, dicit autem Io, fore, ut de saxo prolapsa praeceps feratur in campum:

v. 748. *τί δῆτ' ἐμοὶ ζῆν κέρδος, ἀλλ' οὐκ ἐν τάχει*
ἔρριψ' ἐμαυτὴν τῆσδ' ἀπὸ στυφλοῦ πέτρας,
ὅπως πέδῳ σκήψασα τῶν πάντων πόνων
ἀπηλλάγην;

Sed litigari potest, num Prometheus propius absit ab Oceano, quem Aeschylus v. 138. terram circumfluentem facit, an a Ponto Euxino. Quam controversiam a Schuetzio ad Aesch. Prom. p. 9. in medio relictam Hermannus Aesch. trag. II. p. 154. ita disceptat, ut Prometheum alligatum esse dicat in ea Scythiae parte, quae regiones illas in tabula descriptas intuenti ad sinistram supra Pontum Euxinum sit. Sed gravissimum habemus codicis Medicei scholion a F. Ritschelio Sept. ad Th. p. XXII. ita scriptum: *Ἰστέον ὡς οὐ κατὰ τὸν κοινὸν λόγον ἐν καυκασῶι φησὶ δεδέσθαι τὸν προμηθέα, ἀλλὰ πρὸς τοῖς εὐρωπαίοις τέρμασι τοῦ ὠκεανοῦ, ὡς ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν ἰὼ λεγομένων ἔστι συμβαλεῖν.* Neque dubito, quin scholiasta rectius quam Hermannus viderit. Nam et initio fabulae et aliis locis Prometheus dicitur venisse non ad extremam gentem, sed ad extremum et ab hominibus remotum et vacuum locum:

v. 19. *ἄκοντά σ' ἄκων δυσλύτοις χαλκεύμασιν*
προσπασσαλεύσω τῷδ' ἀπανθρώπῳ πάγῳ,
ἵν' οὔτε φωνὴν οὔτε του μορφὴν βροτῶν
ὄψει.

v. 270. *οὐ μήν τι ποιναῖς γ' ᾠόμην τοίαισί με*
κατισχνανεῖσθαι πρὸς πέτραις πεδαρσίοις,
τυχόντ' ἐρήμου τοῦδ' ἀγείτονος πάγου.

Quis est, qui prope paludem Maeotidem vel Pontum Euxinum, ubi habitant Scytharum gentes v. 417: *Σκύθης ὅμιλος*, eum locum esse putet! Iam vero Oceanides, quae domicilium habent in Oceano, si Prometheus longe abesset, neque mallei ictibus arcesserentur, neque odorem maris redolerent. Accedit, quod Prometheus vaticinatur, Ioni, priusquam ad Scythas, extremam terrae gentem, perveniat, iter faciendum esse per incultos agros. Nam ipsum scholiastam, qui addit: *ὡς ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν ἰὼ λεγομένων*

ἔστι συμβαλεῖν, non solum versus 720, ex quo scenam esse prope Oceanum colligi nequit, sed etiam, id quod Hermannum Opusc. vol. IV, p. 262. fugit, vaticinii initium advertit.

CAPVT VII.

Restat, ut quaeramus, qui sit ille mons, in quo Prometheus est alligatus. Ardua, aspera, ab hominibus remota saxa his potissimum significantur locis:

v. 4. πρὸς πέτραις ὑψηλοκρήμνοις.
v. 15. φάραγγι πρὸς δυσχειμέρῳ.
v. 20. τῷδ' ἀπανθρώπῳ πάγῳ.
v. 31. ἀτερπῆ τήνδε πέτραν.
v. 117. τερμόνιον ἐπὶ πάγον.
v. 142. τῆσδε φάραγγος σκοπέλοις ἐν ἄκροις.
v. 271. κατισχναίνεσθαι πρὸς πέτραις πεδαρσίοις,
τυχόντ' ἐρήμου τοῦδ' ἀγείτονος πάγου.
v. 283. ὀκριοέσσῃ χθονὶ τῇδε πελῶ.
v. 559. χαλινοῖς ἐν πετρίνοισιν.

v. 749. τῆσδ' ἀπὸ στυφλοῦ πέτρας.
v. 1020. ὀκρίδα φάραγγα.

Caucasi saxa intelligenda esse, Hermannus Aesch. trag. II, p. 153. sqq. negat. Ego vero non eum quidem Caucasum, qui est inter Pontum Euxinum et mare Caspium, sed tamen Caucasum intelligendum esse contendo. Hermannus enim ita argumentatur. Quum poetae tragici sit, illud omnium primum curare, ut spectatores statim ab initio cognoscant, quo in loco res agatur, Aeschylum Scythiam nominasse, non Caucasum, quo nobilissimo in monte si vinctum fecisset Prometheum, poetam ineptum fuisse, si id non dixisset ipso nomine montis commemorato. At Aeschylum eum neque in exordio nominasse neque eius alia in parte fabulae ita mentionem fecisse, ibi ut res agi videretur. Quin in carmine chori v. 422. poetam distinguere Caucasum ab eo loco, in quo Prometheus sit adeoque v. 720. Prometheum Ioni dicentem facere πρὶν ἂν πρὸς αὐτὸν Καύκασον μόλῃς. Addit Hermannus, Aeschyli verba, qui sic interpretari conetur, ut conciliari cum Promethei in Caucaso alligatione posse arbitretur, eum manifesto facere, quod absurdum sit neque homini sano in mentem venire debeat.

Quibus callidissimi viri gravibus durisque verbis non

modo non deterreri debemus, quominus eius argumenta in disceptationem vocemus, verum etiam incitari, ut quae contra dici possint, perscrutemur diligentius. Equidem persuasum habeo, spectatores Graecos primis sex fabulae versibus recitatis statim de Caucaso cogitasse. Neque vero Welckero Aesch. trilog. p. 34. assentior, qui propter Promethei famam Graecis notissimam Aeschyli aequales Caucasi meminisse dicit. Etenim dubitari potest, num Aeschyli aetate fama Prometheum Caucaso affixum esse traditum sit. Neque enim apud Hesiodum, antiquissimum huius fabulae auctorem Opp. et D. v. 86. et Theogon. v. 521. sqq., Prometheus Caucaso affigitur, sed columnae, quam a poeta rupem intelligi Clausenus l. c. ut demonstret frustra laborat. Immo vero Heynius ad Apollod. p. 90. Gotting. 1783. Aeschylum primum suspicatur e fabulis de Hercule traditis Caucasi nomen in Prometheum Solutum transtulisse. Non debebat ergo Welckerus l. c. Heynii auctoritate uti. Nam Heynii coniecturam secutus Welckeri rationi fidem derogabis. Sed ut Promethei fama nomenque non admonuerit Aeschyli aequales Caucasi, tamen Scythiae nomine audito fieri non potuit, quin huius montis imago in eorum animis exsisteret. Nam saepissime quidem Caucasus iis continetur montibus,

qui sunt inter Pontum Euxinum et mare Caspium, quorum nobilissimi sunt Strobilus et portae Caucasiae. Idem vero nomen, quod non significat montem igneum Welck. trilog. p. 596, sed Plinio N. H. VI, 17. teste montem nive tectum, de omnibus usurpatur montibus per regiones septemtrionales porrectis. Quare in Europa Riphaei montes, in Asia post Alexandri Magni expeditionem Paropamisus, Emodus, Imaus eodem nomine appellabantur. Stanl. ad Aesch. Prom. v. 716: „Riphaeos montes ὄρεα Καυκάσια dictos fuisse constat ex Dionysio περιηγητῇ. Quippe cum Tanain fluvium plerique veterum Ptolemaeus III, 5. Plin. IV, 12. Mela I, 20. putarunt ex Riphaeis montibus oriri, ille eandem procul dubio sententiam secutus sic expressit v. 663: πηγαὶ μὲν ἐν οὔρεσι Καυκασίοισι. Videntur sane huius opinionis assertores Ceraunios et reliquos omnes Sarmaticos montes a Caucaso proprie dicto ad Riphaeos usque porrectos sub communi Caucasiorum montium appellatione comprehendisse.“ Idem ad Prom. v. 1: „Prometheum vinctum refert Strabo XI, 507. ἐπὶ τοῖς ἐσχάτοις τῆς γῆς ἐν τῷ Καυκάσῳ et Theocr. Idyll. ζ' v. 77. Καύκασον ἐσχατόεντα nominat, hoc est ex scholiastae mente τὸν ἐν ἐσχάτοις μέρεσι τῆς γῆς ὄντα.“ Itaque Scythicos montes et Caucasum idem valuisse permultis

testimoniis probatur. Apollod. bibl. I, c. 7: *Ζεὺς ἐπέταξεν Ἡφαίστῳ, τῷ Καυκάσῳ ὄρει τὸ σῶμα αὐτοῦ προσηλῶσαι· τοῦτο δὲ Σκυθικὸν ὄρος ἐστίν.* Hygin. poet. astron. 2, 15: Prometheum in monte Scythiae, nomine Caucaso, ferrea catena vinxit. Martial. I, 7:

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Assiduam nimio pectore pavit avem.

Neque dubitari potest, quin iam Aeschyli aetate Scythia et Caucasus, etiamsi Promethei et Herculis et Argonautarum fama (Strab. XI, 5) de iis tacuisset, tamen a mercatoribus inde ferrum, aurum, frumentum, vellera, venena, sagittarios arcessentibus per totam Graeciam celebrata sint atque ita in unum quasi coaluerint, ut separari non possent. Quae cum ita sint, Aeschylus, si, cum Scythiae montes commemoraret, a spectatoribus Graecis Caucasum intelligi noluisset, socorditer inepteque egisset, si eius montis, quem intelligi mallet, nomen non pronunciasset.

At Hermannus miratur, quod poeta in Prometheo Vincto Caucasi nomen non commemoraverit. Id mirum esse concedo. Sed testimonium habemus, quo iam in Ignifero Prometheo Caucasi mentionem esse factam, si non certum, at probabile tamen fit. Nam quod Hyginus scripsit in Poet. Astron. II, 15. p. 456. „Prometheum autem in monte Scythiae nomine Caucaso ferrea catena vinxit: quem alligatum ad triginta milia annorum Aeschylus tragoediarum scriptor ait“, id ad Prometheum Igniferum pertinere patet ex his scholiastae ad v. 94. verbis: *ἐν γὰρ τῷ πυρφόρῳ τρεῖς μυριάδας φησὶ δεδέσθαι αὐτόν.* Quod autem Aeschylus v. 719. Prometheum Ioni praecipientem inducit, ne Hypanin transeat, priusquam ad ipsum Caucasum, montium altissimum, ubi flumen e summis iugis robur suum effundat, pervenerit, meae interpretationi non repugnat, sed favet. Nam *αὐτός* nomen hoc loco nihil aliud efficit, quam ut maiore cum vi Caucasi montibus inferioribus summa cacumina opponantur. Bene enim scholiasta: *ἤτοι πρὸς τὸ ἕτερον μέρος τοῦ Καυκάσου. ὁ γὰρ Προμηθεὺς ἔν τινι μέρει καὶ ἀκρωρείᾳ τοῦ Καυκάσου ἐσταυρώθη. ὁ δὲ Καύκασος ὄρος ἐπὶ πολὺ διῆκον.* Itaque *αὐτός* pronomen bis positum, et v. 720. et v. 722, ita demum recte explicatur, ut a Prometheo vehementius commoto, ut Ioni viam quam accuratissime describeret, alterum proleptice usurpatum esse dicamus. In chori vero carmine v. 421. Caucasus distinguitur ab Arabia, non, ut Hermannus vult, ab eo loco, in quo Prometheus est.

Impedimentum sane Caucaso ipso insuperabilius opponere videtur vetus ille scholiasta, quem supra ad locum, ubi res agatur, inveniendum optimum ducem

secuti sumus. Sed videtur tantum. Nam cum ceterorum scholiorum verbis luculentissimis (Dind. Aesch. trag. III, pp. 11. 15. 195. 239) ita conciliari potest, ut non *ἐν καυκάσωι* verba, sed *κατὰ τὸν κοινὸν λόγον* accentum quem appellant logicum habere dicamus. Quae interpretandi ratio si cui artificiosior videtur, iam altera via iniri potest. Communis enim Graecorum fama scholiastae quidem aetate tulit, Prometheum in Caucasi montibus, qui sunt inter Pontum Euxinum et mare Caspium, fuisse vinctum. Arrian. in peripl. P. Eux.: *καὶ τοῦ Καυκάσου κορυφή τις ἐδείκνυτο· Στρόβιλος τῇ κορυφῇ ὄνομα, ἵνα ὁ Προμηθεὺς κρεμασθῆναι ὑπὸ Ἡφαίστου κατὰ πρόσταξιν Διὸς μυθεύεται.* Lucian. in dial: Prom. c. 4: *ἀνεσταυρῶσθαί με πλησίον τῶν Κασπίων τούτων πυλῶν ἐπὶ τοῦ Καυκάσου.* Cf. Apoll. Arg. II, 1250. Itaque scholiasta Caucasi nomen latius patere sive ignorans sive non meditatus tantum modo testatur, apud Aeschylum Prometheum non vinciri in Caucaso, ubi recentiores poetae eum vinctum esse tradant, sed prope Oceani terminos Europaeos.

SCRIPTOR DE VITA SVA.

Vicesimo huius saeculi anno ortus pago Horbacensi, qui prope Aquisgranum situs et patronum habens Henricum secundum, inclutum Germaniae imperatorem, pariter prisca sacrorum religione atque loci amoenitate est insignis, puerulus prima legendi et scribendi et computandi elementa didici in ludo publico ab Henrico Geyero, magistro non ita magnae doctrinae, sed singulari integritate morum. Inde hortatu Ioannis Kereni, venerabilis parochi, annum agens undecimum Aquisgranum demigravi ibique, a Iosepho Schoenio, gymnasii rectore doctissimo ac gravissimo, quinto discipulorum ordini adscriptus, a praeceptoribus moderatissimis optimarum artium studiis ac disciplina ad divinam Iesu Christi humanitatem humilitatemque conformabar. Iam parentes, ut ipsi fidem catholicam a maioribus velut hereditate relictam summum dei donum ac munus ha-

bebant, sic filium omne studium atque omnem laborem ad Christianorum sacra colenda celebrandaque collocaturum esse sperabant. Quam dulcissimam eorum spem vitae rationes a me susceptae fefellerunt. Nam scriptores Graeci et Romani adolescentium admirationi atque industriae propositi adeo me delectabant atque artis suae venustatisque laqueis irretitum tenebant, ut felices ter et amplius eos putarem, qui divina nostrae ecclesiae doctrina non posthabita in contemplandis imitandisque virtutis atque ingenii monumentis tam luculentis per totam vitam versarentur et cum antiquis litteris omnes contraherent amicitiae sortisque necessitudines. Neque enim me fugit, omnium ingenuarum artium ac disciplinarum radices a Graecis et Romanis esse repetendas et alteram gentem in otio cognoscendi, alteram in negotio agendi facultate quid humana natura efficere posset esse expertam. Accessit, quod mihi a natura sive potius a deo insita erat non tam precandi et supplicandi, quam ardentissima discendi ac docendi cupiditas. Itaque praeter parentum spem, neque tamen contra eorum voluntatem, concesserunt enim sumpta toga virili liberum iudicium, totus in philologiae fines deductus, per tres annos Bonnae et Berolini, in urbibus litteratissimis hominibus liberalissimisque studiis affluentibus, sum-

morum grammaticorum, historicorum, philosophorum scholis interfui. Nam summo cum fructu disserentes audivi Bonnae Brandisium, Fichtium, Hilgersium, Loebellium, Ritschelium, A. G. Schlegelium, Schopenum, Urlichsium, Welckerum; Berolini Boeckhium, Gablerum, Lachmannum, Rankium, Ritterum, Zumptium. Deinde posito tirocinio per septemdecim annos Aquisgrani, Treviris, Sarloisii docui Graecam et Latinam et patriam linguam. Omnia vero subseciva tempora transmisi ad ea studia recolenda, quae mihi iam puero fuerant carissima.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Aeschylum in Agamemnonis parodo haec scripsisse censeo:

    ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει
    πειθὼ, μολπᾶν
    ἀλκὰν, σύμφυτος αἰών.

2. Tres Aeschyli Prometheos, Igniferum Vinctum Solutum, unius fuisse trilogiae, veri simillimum est.
3. Verborum accentum a Plauto non esse neglectum nego.
4. Hor. carm. I, 1. 3—6. Bentleius artificiosius, quam rectius interpretatur.
5. Patria potestas apud Romanos erat nimia.
6. Ambitio licet ipsa vitium sit, tamen nihil obstat, quominus a praeceptoribus in puerorum animis excitetur.
7. Veteres recte sentiunt, aetatem puerilem ad humanitatem esse conformandam, quae tamen illa humanitas sit, parum intelligunt.
8. Inter religionem et superstitionem quid intersit, Cicero de nat. deor. I, 42. ut definiat frustra laborat.